



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

78. Christus in Te[m]plu[m] ingressus, medio die festi Tabernaculoru[m] docet populu[m], & mira[n]tur lud[a]ei, eu[m] literas scire: quos reprehe[n]dit, quòd qu[a]era[n]t eu[m] interficere. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

CAP. 78. Christus in Templum ingressus, medio die festo Tabernaculorum docet populum, & mirantur Iudæi, eum literas scire, quos reprehendit, quod quærant eum interficere. Mittuntur, qui eum comprehendant, sed illi audita eius doctrina, eum colaudant, & Nicodemus Christum defendens, à Pharisæis male accipitur. Iohan. 7. * 75.

S. Matthæus S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant, Vbi est ille? Et murmur multus erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Quia bonus est. Alij autem dicebant, Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudæorum. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscat de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit, Dæmonium habes: quiste quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis, Vnum opus feci: & oēs miramini. propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Moyse est, sed ex patribus, & in sabbato

O. 2

cir

S. Matthæus

S. Marcus,

S. Lucas.

S. Iohannes.

circumciditis hominem. Si circumcissionem accipit homo in sabbatho, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbatho? Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis, Nunc hic est quem quærunt interficere? Et ecce, palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognoverunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens, Et me scitis, & unde sim scitis. & a me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebāt, Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet quam quæ hic facit? Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt principes & Pharisei ministros ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. Quæritis me, & non inuenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudei ad semetipsos, Quò hic iturus est, quia non inuenimus eum: nunquid in dispersionem Gætiarum iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo quem dixit, Quæritis me, & non inuenietis: & ubi sum ego, vos non potestis venire? In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus

S. Ma

S. Matthæus.

S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

Iesus, & clamabat, dicens, Siquis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. (Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. nondum enim erat Spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus) Ex illa ergo turba cū audissent hos sermones eius, dicebant, Hic est verè propheta. Alij dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Nunquid à Galilæa venit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Beth-léhem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum; sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & Phariseos. Et dixerunt eis illi, Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri, Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisei, Nunquid & vos seducti estis? Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. Dixit Nicodémus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem: nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt, & dixerunt ei, Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare, & vide quia à Galilæa propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam. * 79.

O 3

Cap.